ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Illustris ac Nobiliss. Vir.

Sollicitudinem erga me tuam duplici nomi-
ne intellexi ex Portio, qui bis me invisit, statum
valetudinis tibi intimandum inquirens. Sic autem
se res habet. Prius malum aliquatenus jam curatum
est, sic ut ad domesticas actiones revertar quidem;
sed pro libitu meo nondum Musis vacare aut ser-
vire liceat. Verum succesu temporis spero majus
incrementum valetudinis, ut Musicis studiis me
afficiam: a quibus etiam altero malo impedior.
Siquidem catarrhus oculos ita affecit, ut diffi-
culter videam. Curam omnem adhibeo ut malum
cedem. Ex oculo sinistro parum distincte video:
semper enim umbra quaedam orbicularis, ~~et~~
~~confusiorem~~ (instar stuferi) pupilla adversa obest,
ut rem minutiorem, et confusiorem rudi tantum modo
videam. Ex dextro certius video quidem: sed non
est, quin fatigationem lectionis aut scriptionis pa-
tiar. Interim tamen hoc mense incepi aliquid in
Musica, quod Deo dante paulatim perficiam: ut
tibi compendio quodam rem totam ostendam. Hactenus
patientia opus est: quam si a me muneris debiti loco
tantisper accipias, patientem magis animabis,
ut majores conatus patienter adhibeat, tibique ex voto
suo obsequatur. Vale. Harlemi XV Kal. Novemb. CIↃ.IↃC.
XLI.

Tuus servus

J. A. Bannius

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 15
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2827a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 15
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2827a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 15
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2827a

Illustri ac nobiliſſimo
Viro
Conſtantino Hugenio Equiti
Domino in Zulicom, Conſi-
liario et Secretario suæ
Celſitudinis.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 15
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2827a